

Bibliothèque numérique

medic@

**Gratereau, Jean-Pierre - candidat /
Sue, Pierre - président. - De fibulae
fractura**

1786.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
necnon Academiae Typographi,
viâ Cithareâ,***

Cote : ms 2346, n°9



DE
FIBULÆ FRACTURA.
POSITIONES
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.

GRACILE OS, solidum tamen & fistulosum, ad externum tibiæ
latus adstans; ipsi quidem crassitie, non verò longitudine cedens,
Græcis *Περὶν*, Latinis *sura*, *fibula*, *focile minus*, *arundo minor*,
canna minor cruris, vocatur.

Interior fibulæ in fœtu structura varia est; in medio cava, ver-
sus extrema reticularis, nec-non in epiphyfis cartilaginea est. Pro-

A



gressu verò ætatis, post pubertatem, scissura, quæ antea epiphyses ab ipso trunco distinguebantur, in totum obliteratur, & tunc quidem fibula utrinque unum os refert, ejusque corpus, initio cylindricum, nunc angulosum fit.

Superior ipsius extremitas, fursùm & deorsùm obliquè acuminata, exteriùs & posteriùs gibba ac prominula, interiori latere sinum levem & circularem insculptum, lubricâ in recenti sceletò incrustatum cartilagine, ostendit, cui laterale tibiæ appendicis tuber coarticulatur. Sub fibulæ parte internâ & posteriori adnotatur quædam tuberositas, undè pars musculi solæi tendinosa originem ducit.

Fibulæ truncus sive corpus, inæquale, initio teres & gracilescens, in medio paulatim crassius, extorsùm recurvatur, quod ab actione musculorum præcipuè pender, undè quoque ejusdem ossis triangularis figura. Per totam tibiæ longitudinem descendens fibula, plus minùs-ve ab illâ distat.

Angulus fibulæ acutissimus est anterior: in uno ejusdem latere profunda, sed inæqualis ossis depressio animadvertitur, à plurimorum musculorum vel ibidem nascentium, vel super fibulam sese moventium parte carnosâ nata, quod certis & conspicuis per ætatem relictis vestigiis demonstratur.

A parte superiori ad inferiorem, musculis *peroneis* dictis, obliquè deprimitur facies fibulæ externa.

Facies interna inæqualiter dividitur, mediante obliquâ eminentiâ, à parte anguli anterioris superioris progressâ usque ad anguli interni extremitatem inferiorem. Huic lineæ inseritur interosseum ligamentum, quod inter duo ossa tenditur. Pars anterior superiùs strictissima est. Ex eâ originem ducunt musculi tum pollicis longus extensor, tum digitorum longus extensor. Hæc anterior facies inferiùs amplior fit, & in eâ impressio quædam observatur musculo minori *peroneo* delineata. Posteriùs

3
amplior est facies, & huic adhæret tibiæ posterior. In angulo interno reperias membranam tendinosam à quâ nascuntur fibræ musculi longi flexoris digitorum.

Facies fibulæ posterior lævis est & unita. Superiùs musculo solæo deprimitur : inferiùs cavatur adhæsiōne musculi longi flexoris pollicis. In hujus faciei medio conspicitur transitus vasorum medullarium, infrà serpentium.

Extremitas fibulæ inferior præcipuè efformatur capite oblongo, paululùm convexo, & spongioso in parte internâ : ibidem sæpè adnotatur facies aspera in tibiæ cavitate externâ locata, & huic ita annexa ope cartilaginis intermediæ tenuissimæ validorum nec-non ligamentorum, ut minimus sit in hoc loco fibulæ motus. Infrà hoc caput, extrorsùm progreditur fibula, & apophysim coronoidæam efformat. Quæ quidem lævigata, cartilagine incrustata, contigua est parti externæ primi ossis pedis, nempe tali : *malleoli externi* nomine salutatur hæc apophysis. In hujus parte inferiori & internâ cavitas spongiosa detegitur, quæ est receptaculum glandularum mucilaginosarum.

Ex apice extremitatis inferioris nascuntur plurima ligamenta quæ tum in talo, tum in ossibus calcaneo & naviculari dictis, finem inveniunt ; in parte posteriori sinuositas adest pro duorum musculorum peronæorum tendinum transitu.

Connexio fibulæ cum tibiâ fit per arthrodiam. Præcipuus huic usus est, originem & insertionem præbere pluribus musculis. Præterea pedis articulationem & firmiorem & tutiorem reddit.

E C H I R U R G I A.

Iterum, lapsu, vel aliâ quâcumque causâ externâ & contundente, frangi potest fibula, integrâ remanente tibiâ.

Eandem fracturam producere potest percussus (*le contre-coup*)

A ij

in ipso pedis cum crure articulo (a). Fibulae enim extremitas inferior lateraliter percussa in lapsu supra pedes, reluctat, dum ejusdem ossis pars fragilior cedit & frangitur, etiamsi pedis luxatio in latere non eveniat.

Difficilius quàm tibiae fractura dignoscitur fractura fibulae. 1°. Partes fractae in carne sive musculis profundius reconditae sensum tactus acutiorem non-nunquam effugiunt, praesertim si jam partes laesas invaserit quaedam tumefactio. 2°. Quoties sola fibula frangitur, levius plerumque afficiuntur aegri, usque adeò ut interdum ne ab incessu quidem penitus impediuntur, licet maximum progressioni impedimentum afferat musculorum tractio, tum in fibulâ, tum in interosseo ligamento adhærentium. 3°. Pedis paululùm interna conversio, vel à ligamentorum inordinatâ extensione, vel à diastasi quâdam produci potest, & fibulae fractae tamen signum non esse.

Partes fractae in fibulâ ferè semper è loco suo excidunt; quod oritur non solum ab ejusdem ossis naturali curvaturâ, sed etiam ab interossei ligamenti elasticitate, & à peculiari digitorum extensoris tamen musculi structurâ.

Fibulae fractura ut apprimè & sine dubio detegatur, optimum est alterâ manu hanc cruris partem, ubi à tibiâ remotior est fibula, alterâ verò pedis plantam prope talum comprehendi, digitis supra malleolum externum positis. Tum hinc indè, à dextrâ in sinistram partem, & vice versâ, pes commovetur. Dum hoc fit, partium fractarum auditur quandòque crepitus, signum fibulae fractae pathognomonicum. Fracturae etiam locus certo certius determinatur.

His motibus ritè & cautè factis, os quod integrum est sub

(a) Vide Dissert. celeb. *Rozille* de percussu, *Pris de l'Acad. de Chirurg.* tom. IV. pag. 574.

prementibus digitis consistit & renititur, fractum verò os iisdem cedit. Præterea illud ligamentum, quod inter ossa medium est, os fractum ad alterum adducit.

Nunquam verò convenit, adnotante Platnero (a), fibulæ fracturam tactu explorari, nisi æger in lectulo vel loco collocatus sit, ubi fracta in sedem suam compelli, & membrum deligari commodè possint.

Meliùs coeunt partes fractæ transversè, quòd alterum os alteri innititur. Pejor est obliqua fractura fibulæ, præcipuè si ossis capita acuta carnes vulnerant. Os etiam collisum, & si ejusdem plura fragmenta sunt, difficiliùs committitur. Si hæc fragmenta non inter se cohærent, sed undique resoluta non suo loco sunt, illa cum cæteris non glutinabuntur; undè gravis inflammatio, & febris, & suppuratio sequuntur, atque nonnunquam gangrenæ periculum (b). Gravius adhuc est malum, cùm ossis fracturæ carnis quoque vulnus accessit, maximè si ex his ossis membrana inflammatur. Si fibula juxta articulum fracta est, callus nimium increfcit, quo articulus impletur, & ossa ita junguntur, ut unum super alterum moveri nequeat; undè morbus *anchylosis* dictus, in solâ amborum ossium, non verò unius, & præcipuè fibulæ, fracturâ locum habens.

In hac fracturâ curandâ, sicut in aliis, tria observanda sunt: oportet enim, 1°. ea quæ suo loco non sunt, committere, atque fragmenta in suas fedes compellere. 2°. Membrum impositis pannis & super accommodatis ferulis, si necesse sit, deligare. 3°. Pericula quæ incidere possunt, avertere & præcavere.

Si, ut plerumque fit, in suis sedibus remanserint partes fibulæ

(a) Inst. Chir. n°. 1224.

(b) Vid. Frider. Christ. Junker & Rock, Dissert. de Inflammatione pedis & abscessu femoris sub curatione fracturæ fibulæ ortis. Hall. 1769, in-4°.

fractæ, non opus est ut committantur: si verò suis sedibus motæ sunt, oportet protinùs membrum manibus amplecti, fragmenta reponere, & reposita fasciis continere. Si jam membrum occupaverit inflammatio, difficile & periculosè tunc vis musculis adhibetur: quare membrum non laceffendum est: sed expedit sanguinem mittere atque imponere epithemata, quæ adversùs inflammationem maximè valent, donec ab iis hæc solvatur. Maximè præsertim necessaria est sanguinis detractio, ubi cum ossis fracturâ vulnus accessit, vel ubi majori vi vexatæ carnes fuerunt.

Quandò fibulæ fractura cognoscitur, ea reponenda. Plurimæ verò adhiberi debent cautiones tum in extensione, tum in deligatione. Sæpè sæpiùs enim introrsum propellitur fragmentum fibulæ inferius.

Extensio verò ut sit apta & ritè facta, Chirurgus debet pedem introrsum convertere, & digitis validè comprimere malleolum externum, donec reponantur partes fractæ, donec etiam membrum deligetur. Hæc si omittatur attentio, è suis sedibus semper dimovebuntur fragmenta: vacuum quoddam remanebit callo per longum temporis intervallum adimplendum; dolorificis præterea divulsionibus afficientur musculi: nonnullæ etiam horum partes calloso succo amplecti & ab aliis separari poterunt, & in crure difformitas remanebit.

Partibus fractis prope-propiùs adpressis, hæc in hoc statu continendæ; quod pannis, spleniis & fasciis obtinetur. Præcipua verò & maximi momenti observatio tunc adhibenda, nempe fasciationem circularem in fracturæ locum non applicari; sic enim versùs tibiam propellerentur ossea fragmenta; quod certè vitandum. Ea è contrà in suâ ab hoc osse naturali dimotione retinenda.

Ad hunc finem adimplendum, duæ ferulæ longæ, sed angustæ, una externè, altera internè, vino vel spiritu vini

unctæ , super duorum ossium interstitium imponuntur : ita fascia circularis , quæ deinde & immediatè super ferulas applicatur , hanc necessariam inter tibiâ & fibulam carniû copiam recalcât , ut hujus ossis fracti fragmenta in sufficienti à tibiâ distantia persistant. Fascia supra malleolos ter voluta , & minimè supra fracturæ locum , sursùm versùm serpit , & infra deinde finitur. Per totum curationis tempus pedem introrsùm converti necesse est.

Membrum ita deligatum continendum est ut , per quietem partes fractæ , crescente callo , glutinentur. Pes collocetur , si velis , in canalem ligneum excisum , cuilibet homini ejusque membro accommodandum , seu potius in linteum valens quod utrîque duo bacilla habet , stramine linteoque obvoluta gallicè , *les fanons*. Habere debet linteum à plantâ moram , quæ pedem sustineat , cui , ne offendant , infertendus est densior molliorque pannus. Calci submittitur calcitellus in medio depressior & futurâ divisus , vel habena mollior in duo capita parùm adstrictè , sed remissiùs glomerata ; nam necesse est ut calx mollior cubet. Super membrum collocatur arcum quo stragula , ne membrum premant , sustinentur.

Deligato collocatoque sic membro , sanguis longiùs inde , ubi noxa & metuenda inflammatio est , mitti debet. Fascia ante vigesimum diem non resolvitur , nisi accidentia quædam superveniant. Quod si autem fascia resolvi debet , opus est duobus ministris , qui in diversa contendunt , & os non tam extendunt , quàm in sede suâ continent.

Interdum membrum minùs dolet quàm prurit ; id quod oritur , si emplastra super data fuerunt , vel unguenta adhibita , nec non si impositi panni sordidi , aut ferulæ nimis coarctantur. His , si origo non ignoratur , facilè occurri potest.

*HAS THESES, Deo juvante, & Praefide M. PETRO SUE,
secundo, antiquo Collegii Praeposito & nunc Quaestore, antiquo
Scholarum Praëdicarum Anatomiae & Chirurgiae Professore, Regiae
Academiae Chirurgiae Consiliario & pro commercio extraneo Secre-
tario, in generali Parisiensi Praefectura Chirurgo ordinario, nec-non
Societatum Academicarum Monspelliensis, Rothomagensis, Di-
vionensis, Lugdunensis, Burdigalensis & Aurelianensis Socio;
tueri conabitur JOANNES-PETRUS GRATEREAU, Tuffoneus,
in alma Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister.*

*Die Veneris, 21^a mensis Julii, anno R. S. H. 1786, à sesqui-
secundâ post meridiem ad septimam.*

P A R I S I I S,
IN REGIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO,
ET
MAGISTERII LAUREA.

Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae
Collegii, necnon Academiae Typographi, viâ Cythareâ.

M. DCC. LXXXVI.